

et ea quæ lenocinantur illi, vitia, sacerdotibus diu noctuque pugnandum est. Et mihi, meæque Missioni, graue periculum ab ebrietate et impudicitia ejus comite, imminebat. Fuit cum profligatam ab hac peste Missionem propemodum vidi, nisi me Deus respexisset, cui gratias iterum velim agas. Huic enim acceptam refero viam et rationem qua geminam hanc virtutis hostem, Ebrietatem dico et impudicitiam debellavi denique, ac pessumdedi. Cum cernerem ingravescere malum in dies, nihilque admonendo, increpando, et obsecrando aut parum proficerem, maxime apud juvenes, quorum ætas ferocior, institui circumire privatim et demulcere senes, pugnavi omnibus rationibus ab arte ac pietate ductis: persuasi. Nihil tamen actum adhuc erat, nam inter nostros Canadenses nihil majoris momenti deliberatur, aut decernitur, nisi in frequenti, ut ita dicam Senatu. Conveniunt proceres, id est, senes, ac ductores copiarum. Surgit in mediis orator et verba facit. Si aptè, si eloquenter, si ingeniosè, perorat, causam vincit: si timide, titubanter, inornatè, causa cadit. Postquam igitur senes assentiri mihi et præcipuæ auctoritatis duces intellexi, senatum petivi. Datus est. Convenere. Surrexi [in hoc areopago Canadensi,] dixi tanta voce, tanta contentione, ardore tanto, ut me ipse mirarer. Ridebis, Sat Scio. Nosti enim me, *pusilli*, cum essem tuus auditor, *animi, raro et perpauca loquentem*. Sed jam alius sum ex quo versor inter istos barbaros, ingeniosos, eloquentes et